



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XXVIII. Nicolaus Richersdorf, Viceprobst zu Bernau, transsumiert einen Schenkungsbrief des Markgrafen Ludwig des Aeltern für den Kaland zu Bernau, am 22. April 1422.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

XXVIII. Nicolaus Richersdorf, Vicepropst zu Bernau, transsumiert einen Schenkungsbrief des Markgrafen Ludwig des Ältern für den Kaland zu Bernau, am 22. April 1422.

Nicolaus Richerstorp, Viceprepositus ecclesie beate Marie virginis in Bernowe, Brandenburgensis diocesis, universis cristifidelibus hanc literam visuris et auditoris notum facimus publice recognoscendo per presentes, quod constitutus in nostra et notarii publici subscripti testimoniumque infrascriptorum presentia honorabilis Dns. Conradus Schum perpetuus Vicarius in dicta ecclesia Bernaw in domo dicte prepositure circa fenestram — literam pergamenam Serenissimi principis et domini pie Recordationis Domini Ludovici quondam Marchionis Brandenburgensis et Lusatie nec non Comitum palatini etc. sigillo vero et secreto sigillatam, sanam, integram, non viciatam, non obolitam, non cancellatam neque rasam, sed sanam et integram ac prorsus omni dubio et suspicione carentem, nobis cum reverentia et requisitione presentavit, quam literam per nos peccit diligenter examinari ac mandare, per notarium subscriptum transsumi sive exemplari et in hanc publicam formam redigi ac alias per nos auctoritari, et decretum nostrum presenti transsumpto interponi, ut ipsum transsumptum tam in judiciis quam extra et ubicunque ipsum in vim probationis produci contingat, tamquam originalis litera plenariam possit facere fidem. Nos igitur Nicolaus prepositus ecclesie memorate pro tribunali sedentes, legitime petitioni Domini Conradi Schum annuentes, facta collatione et auscultatione diligenti cum originali lecta, perlecta et audita et intellecta, vero Sigillo debite inspecto, ne dicte litere aliqua prava incumberet occasio viciandi et anichillandi igne vel aqua aut quovis alio casu fortuito (periculosum est eam per singula loca et propter rapinas per vias inseguras deportare) prefens transsumptum per Johannem Ludekinum, notarium nostrum publicum, de nostro mandato et iussu factum et rescriptum in presentem formam, autorisantis et decretum nostrum interponimus ac de verbo ad verbum nichil addendo nil minuendo, quod sensum mutat aut intellectum quomodolibet variat debite transcribi mandavimus, quarum tenor sequitur et est talis. (Urf. v. 31. Dft. 1345 No. VI.) Sigillum vero dicte litere fuit oblongum non omnino rotundum concavum de cera glauca appensum in viridis et rubeis filis sericis, quorum medio apparuit imago armigeri Biretum in capite habentis, in cuius dextra apparuit vexillum et sinistra Clippeus permagnus continens dispositionem aquile et litere circumvisibiles fuerunt hee: S. Ludewici dei gracia marchio. Brandenburgensis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premisorum presentem literam siue prefens publicum transsumptum scribi et publicari mandavimus nostrique iussimus appensione Sigilli communi. Acta sunt hec Anno domini M°. CCCC°. XXII°. indictione decima quinta, Sanctissimi in cristo patris et domini, domini Martini diuina prouidentia pape quinti Anno quinto mensis, Aprilis die XXII. h. m. uel quasi, in domo nostre habitationis et prepositure Bernowienfis sepe dicte Brandenburgensis diocesis presentibus ibidem discretis et honestis viris Johan Berghold, Nicol. Wardeberg, Johan Parstein, Andrea Beyerstorp, Johan Stolp et Arnolde Seuld proconsulibus et consulibus antedicte civitatis Bernow laicis Brand. dioc. ac aliis pluribus fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Ludekinus, clericus Brandenburgensis Dioc. publicus imperiali auctoritate notarius, — ea sic fieri vidi et audiui et in hanc publicam formam redegei.

Aus dem Originale des Bernauer Stadtarchives.